

Der liber constructionis monasterii ad s. Blasium

115

huius rei notiores, qui adhuc supersunt\*, studeat percontari. Nam de his nos dixisse haec sufficiunt. Verum de insulis, quas adierat, saltem unam rem, quam retulit, posteris, ut credimus, profuturam libet commemorare, sed nescio, utrum sensu ingenioli mei ita explicare possim, sicut res ipsa gesta est.

25. Est quaedam insula oceani in extremis partibus occidentis sita ad septentrionalem plagam, in qua semel celebritate dedicationis ecclesiae eiusdem instante, multitudo magna populi utriusque sexus atque aetatis convenerat\*\*. Sed quia ad divinum officium verbumque dei audiendum, sanctorumque auxilium per absolutionem<sup>1</sup> peccaminum implorandum occurrere debuerant, illis utilibus omissis, ad ludicra diabolica totis viribus inhiante sese convertunt ad lusumque choreae unanimiter concurrunt iuxta ecclesiam, absque ulla sacri loci reverentia diaboli voluntatem peragentes. Quod videns sacerdos, qui ad celebrandum divinum mysterium convenerat, rogabat eos ab incepto opere desistere, dicens, non expedire eis, ut contempto dei verbo divinisque sacramentis ipsi saltationibus iocisque inconvenientibus deservirent. At<sup>2</sup> illis in stultitia sua permanentibus, sacerdos videns, quod nihil proficeret, non [fol. 29<sup>b</sup>] diu moratus ad explendum divinum opus se praeparat. Cum vero post inchoatum officium ad hoc ventum esset, ut post lectum evangelium, verba exhortationis populo recitaret, sonus iubilantium risusque iocantium iuxta summarium in atrio\*\*\* ecclesiae interrumpens vocem eius, propositum suum multum impediabat. Qui missis multis legatariis†, ut a servitio diaboli desisterent, ad audiendumque verbum dei in ecclesiam convenirent, mandavit. Qui nec venerunt, nec venire voluerunt.

26. Tunc sacerdos super talem eorum contumaciam indignatus, convertit se ad dominum, intentisque precibus misericordiam domini implorabat, ut quia nolue-

runt ecclesiae limina sponte humiliati ad audiendum verbum dei ingredi, ad correctionem fidelium faceret in eis tale miraculum, ut necesse haberent, per multum tempus prope ipsam ecclesiam non sponte praesentialiter dampnati circuire. Quod ita eis contigit. Denique pro poena peccaminum ipsorum extemplo vere, nec mora, praefatae ultionis poena sunt multati. Nam LXXII. homines dinumerantur in circulo choreae, qui iam plus quam trecentos annos nocte dieque sunt ludentes, cibum potumque sumentes, non sompnum capientes, et quod adhuc magis mirum est, tam laeti et alacres sunt, ac si eodem momento illuc concurrissent, cum se ipsis, quidquid volunt, loquantur et iocantur, ad alios vero quoslibet advenientes nihil omnino loquuntur. Vestimenta eorum cum ipsis calceamentis integra et incorrupta perseverant. Inter hos matronam quamdam notavit, quae lasciva choreis ludentium se cum duobus filiis totidemque filiabus suis miscuerat. Ex una parte consertis manibus ducebat eam maior filius, gladio accinctus, calcaria habens in pedibus, sicuti illuc equitaverat, filia vero iam nubili ex altera parte eam ducente. Choraula autem in medio praeambulus ibat, pedibus plaudebat, ore iubilabat, virgam, quam in manu gestabat, ad quam etiam chyrotecas suas suspenderat, [fol. 30<sup>a</sup>] in altum iaciebat, et in manibus recipiebat. Sic miser cum miseris ex merito impietatis suae citius domino vindice tam ipse, quam caeteri poenas reatus sui luerunt.

27. Huius ordinem rei, non quilibet dubius relator, sed ipse fidelissimus vir nobis saepius narrare solitus fuit, qui quinque vicibus se illuc venisse, et ea omnia proprijs obtulibus conspexisse verissime contestatus est. Hactenus de vita peregrinationeque deo dilecti vetustissimi peregrini, pauca de pluribus loquens, modo ad finem eius reducam stylum.

28. Igitur, cum usque ad decrepitam aetatem, sicut iam diximus, in sanctis exercitijs vitam suam consummasset, domino de praemio eius disponente, morbo corripitur acerbo ac per dies crescente multumque ingravescente ardore languoris, saepius a domino abbate\* visitatur ac unctione sacri olei ab ipso ungitur atque viatico dominici corporis et pretiosi sanguinis exitus eius praemunitur. Sed internus arbiter apertis indicijs nobis ante obitum suum declarari voluit, qualis eius vita fuerit, cuius meriti apud se extiterit. Nocte denique

\* Wahrscheinlich Abt Diepert 1178–1186, da er dominus abbas genannt wird, so könnte man vermuthen, diese Stelle sei bei Lebzeiten des Abtes geschrieben, dann ist Abt Mangold 1184 bis 1204 anzunehmen und Frings Tod fällt in's Jahr 1190.

15\*

<sup>1</sup> besser wäre pro absolutione, <sup>2</sup> et, §f.

\* Diese Stelle alios (scil. monachos) — super sunt fami nicht wohl jünger sein, als 1224, denn da Fring 1179, 84 oder 90 starb, so ist es schon viel, wenn 1224, also 30 Jahre nach seinem Tode, noch Zeitgenossen desselben lebten. Danach könnte Abt Hermann I. oder Ditto, der Hiltorifer, (1204—28) der Verfasser obiger Stelle sein.

\*\* Ob darunter Island oder eine der Färöer verstanden sei, bleibt zweifelhaft. Isländer reisten aber schon im 9. und 10. Jahrhundert über die Insel Reicheneu nach Rom.

\*\*\* Summarium ist das Vorbach am Eingange der Kirche, atrium der Vorhof der Kirche, welcher mit einem atrium in einem antiken Hause Ähnlichkeit hat. Solche Vorhöfe haben noch s. Ambrogio in Mailand und s. Clemente in Rom.

† Du Cange s. v. leg. gibt die Stellen an, in welchen dieses Wort statt legatus vorkommt.